

omissio processui executiuo impedimento esse non poterit, condemnationem in expensas etiam reus hoc casu non facile euitabit, cum solutionem denegat ex futili et insufficiente ratione, et contra bonam fidem agit, nisi contra haeredes processus instituaturs qui ob defectum praenominis defuncti temerarii litigii suspensionem facile declinabunt. Imo non tantum executivae sed cambialiter etiam agi posse ex cambio in quo creditoris aut debitoris nomen non adaequate expressum nulli dubitamus, cum enim processus cambialis sit species executivi, DE BERGER *E. D. F. Tit. V. Obseru. III. p. 133.* ubi executivus locum sibi vindicat cambialis quoque regulariter haud exulabit modo addita clausula cambialis: *Gegen diesen meinen Sola Wechsel-Brieff, etc.* Sed sufficient haec de processu executivo, ad beneficiorum materiam nunc transeundum occasione stipendii BORNIANI in quo stabiliendo vterque BORNIVS Perillustris IACOBVS scilicet et Illustris FRANCISCVS munificentiam suam exercuit; quorum memoriam in auditorio Petri proximo die Iouis post sacra matutina hora IX. recolet et de iudicio